



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LVI. Imago Magdalenae sub Cruce lacrymantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Detrahit illa peplum, stillantē sanguine peplum,
 Detractumque cauā pandit vtrisque manu.
 Iamque; crucem textit manus æmula mima doloris.
 Pro radio, telam spina cruenta notat:
 Quæ dum purpureo rubet ac madet ebria succo,
 Sanguine quo pingit, sindona pungit acus.
 Sic docili lino lacrymans intexit I E S U M
 Magdalis, vt mortis textile viuat opus.
 Quæ quoties oculi radio pepla tristia signat,
 Gemmatis toties flens ea pingit aquis.

L V I.

*Imago MAGDALENÆ sub Cruce
 lacrymantis.*

IMAGINOSVS artifex
 Amor, dolentem Magdalin.
 In fontis vndas verterat;
 Sed ars Apellis Dædalo
 E fonte reddit Magdalin.
 Vberrimis iam lacrymis
 Manat quadrâ sub arbore.
 Vah quàm deerro ab ianuâ,
 Totoque cælo deuius!
 Dum sic cruentum stipitem
 Tot lacrymosis riuulis
 Mœror perennans imbuit;
 Heu rurſus vndâ pristinâ
 Est quod fuit, fons Magdalis.

MAGDA-